

dere loco paratus sit, cogitur accipere iudicium, quoniam et suo nomine convenitur, ut opus tollat. — § 1. Aliud est in bonae fidei emptore: hic enim tantum patientiam praestat. Igitur si et fundo cedat, audiendus est: plus enim praestat.

8. ULPIANUS, lib. 53, ad Edictum.

In concedendo iure aquae ducendae non tantum eorum, in quorum loco aqua oritur: verum eorum etiam, ad quos ejus aquae usus pertinet, voluntas exquiritur, id est, eorum quibus servitus aquae debetur; nec immerito: cum enim minuitur jus eorum, consequens fuit exquiri, an consentiant. Et generaliter, sive in corpore, sive in iure loci, ubi aqua oritur, vel in ipsa aqua habeat quis jus, voluntatem ejus esse spectandam placet.

9. PAULUS, [lib. 49, ad Edictum].

In diem addicto praedio et emptoris et venditoris voluntas exquirenda est: ut sive remanserit penes emptorem, sive recesserit, certum sit, voluntate domini factam aquae cessionem. — § 1. Ideo autem voluntas exigitur, ne dominus ignorans injuriam accipiat: nullam enim potest videri injuriam accipere, qui semel voluit. — § 2. Non autem solius ejus, ad quem jus aquae pertinet, voluntas exigitur in aquae cessione: sed etiam domini locorum, etsi dominus uti ea aqua non possit: quia recidere jus solidum ad eum potest.

10. ULPIANUS, lib. 53, ad Edictum.

Si autem plures sint ejusdem loci domini, unde aqua ducitur, omnium voluntatem esse sequendam non ambigitur: iniquum enim visum est voluntatem unius ex mollica forte portiuncula domini praepjudicium sociis facere. — § 1. An tamen subdacti voluntas aquae ductionem, an subsequatur: quia et posteriorem voluntatem praetor tueri debet. — § 2. Si flumen navigabile sit, non oportere praetorem concedere ductionem ex eo fieri, Labeo ait, quae flumen minus navigabile efficiat. Idemque est, et si per hoc aliud flumen fiat navigabile.

11. PAULUS, lib. 49, ad Edictum.

Supra iter alienum arcus aquae ducendae causa non iure fiet. Nec is, cui iter, actus debetur, pontem, qua possit ire agere, iure extruet. At si specus, non cuniculum sub rivo aget, aqua corrumpetur: quia suffosso eo aqua manabit, et rivus siccat. — § 1. Cassius ait, sive ex communi fundo, sive communi aqua noceat, vel unum cum uno agere posse, vel unum separatim cum singulis, vel separatim singulos cum uno, vel singulos cum singulis; si unus egerit, et restitutio operis litisque aestimatio facta sit, ceterorum actionem evanescere; item si cum uno actum sit, et si praestiterit, ceteros liberari: idque quod sociorum nomine datum sit, per arbitrum communi dividendo recipiari posse; et ex sociis [non] atque cum eo agendum qui opus fecerit: nec minus eum quoque damnum restituere debere, qui auctor operis fuit. — § 2. Apud Ferocem Proculus ait, Si cum uno dominorum actum sit, qui opus non fecerit, debere eum opus restituere sua impensa: quia communi dividendo actionem habet; sed sibi magis placere, patientiam duntaxat eum praestare oportere: quia sua culpa actor id patitur, qui non agit eum eo a quo opus factum sit; et est iniquum, eum, qui non fecit, id restituere oportere: quoniam communi dividendo agere potest: quid enim fiet, si socius ejus solvendo non fuerit? — § 3. Officium autem iudicis inter duos accepti quale futurum sit, dubitare se Julianus ait: si forte unius fundus fuerit, cui aqua noceat; si vero in quo opus factum, sit plurium, et cum uno eorum agatur, utrum et ejus damni nomine, quod post litem contestatam datum sit, et operis non restituti in solidum condemnatio fieri debeat; quemadmodum, cum servi communis nomine noxali iudicio cum uno agitur, condemnatio in solidum fiet, quoniam quod praestiterit, potest a socio recipere: an vero is, cum quo agitur pro parte sua, et damni dati et operis non restituti nomine, damnandus sit; ut in actione damni infecti fiat, cum ejus praedii, ex quo damnus metuatur, plures domini sint, et cum uno eorum agatur; licet opus, ex quo damnus futurum sit, individuum sit, et ipsae aedes, solumque earum non potest pro parte duntaxat damnus dare, nihilominus eum, cum quo agitur, pro sua parte condemnari; magisque existimat, id servandum in aquae pluviae arcendae actione, quod in actione damni infecti: quia utrobique non de praeterito sed de futuro damno agitur. — § 4. Quod si is fundus, cui aqua pluvia nocet, plurium sit, agere quidem vel singulos posse: sed damni quod post litem contestatam datum sit, non amplius parte

36. L. 10, in pr. infr. h. t. — L. 4, C. de servit. l. ult. in fin. C. de auct. praestand. — 37. L. 8, supr. h. t. — 38. L. 2, infr. de damnific. — 39. L. 15, supr. de servit. praed. rustic. — 40. L. 4, § 2; L. 5, supr. h. t. — 41. L. 17, infr. de reg. jur. — 42. L. 5, in pr. l. 8, supr. de noxal. action. — 43. L. 14, § 2, infr. h. t. — 44. § 2, supr. hic; L. 6, § 2, supr. eod. — 45. d. L. 6, § 2. — 46. L. 2, § 1, § 2, § 6, supr. eod. — 47. L. 16, infr. eod.; L. 3, § 2,

sua consecuturum; item si opus restitutum non fuerit, non amplius, quam quod pro parte eorum interfuerit opus restitui, condemnationem fieri oportere. — § 5. Si ex privato agro in agrum communem aqua immittatur, Offilius ait socium cum eo agere posse. — § 6. Trebatius existimat, si de eo opere agatur, quod manu factum sit, omnimodo restituendum id esse ab eo, cum quo agitur: si vero vi fluminis ager deletus sit, aut glareae injecta, aut fossa limo repleta, tunc patientiam duntaxat praestandam.

12. Idem, lib. 16, ad Sabinum.

Emptor, nisi simulata venditio est, ceterique successores vel restituere, si velint, opus factum, vel patientiam praestare debent: nam auctori moram suam nocere debere manifestum est. In eadem causa est etiam socius ejus, qui opus fecit, si ipse auctor non fuit. Idemque in donato fundo legato est.

13. GAIVS, ad Edictum praetoris urbani, titulo de Aquae pluviae arcendae. Sed venditor aut donator interdicto quod vi aut clam, de damno et impensis ab auctore factis tenebitur.

14. PAULUS, lib. 49, ad Edictum.

Anteus ait, Si is qui opus fecerit, potentiori vendiderit praedium: quatenus desierit dominus esse, agendum cum eo quod vi aut clam: quod si annus praeterierit, de dolo iudicium dandum. — § 1. Cum agitur aquae pluviae arcendae, de facto quod nocet, quaeritur. Ideoque si vitio loci pars aliqua soli subsedit, quamvis per eam causam aqua pluvia inferior noceat, nulla competit actio. Idem fortasse dicitur, si in agro manufactum aliquid subsedit. — § 2. In hoc iudicium, sicut in damni infecti, futurum damnum venit: cum reliquis fere omnibus iudiciis praeteritum praestetur. — § 3. De eo, quod ante datum est, quod vi aut clam agendum est; de eo, quod post sententiam iudicis futurum est, damni infecti cavere oportet: vel ita opus restituendum est, ut nullum periculum damni supersit. — § 4. De eo opere, quod post litem contestatam factum est, novo iudicio agendum est.

15. Idem, lib. 16, ad Sabinum.

Sed interdum opus, et quod post litem contestatam factum est, tollitur: si id quod accessit, tolli sine eo non potest.

16. POMPONIUS, lib. 20, ad Sabinum.

Post venditionem et traditionem quod nocitum sit ei fundo, de quo ante iudicium acceptum sit aquae pluviae arcendae, nihilominus eo iudicio venditorem posse consequi: non quia venditori sed quod rei damnus datum sit: idque eum emptori restituere debere. Sed si antequam noceatur, is cum quo actum sit, vendat, statim agendum cum emptore: vel intra annum cum eo qui vendiderit, si iudicium evitandi causa id fecerit.

17. PAULUS, lib. 15, ad Plautium.

Si prius nocturna aquae servitus mihi cessa fuerit, deinde postea alia cessione diurna quoque ductus aquae concessus mihi fuerit, et per constitutum tempus nocturna duntaxat aqua usus fuerim: amitto servitutum aquae diurnae, quia hoc casu plures sunt servitutes diversarum causarum. — § 1. [Recte] placuit, non alias per lapidem aquam duci posse, nisi hoc in servitute constituenda comprehensum sit; non enim consuetudinis est, ut qui aquam habeat, per lapidem statum ducat: illa autem, quae fere in consuetudine esse solent, ut per fistulas aqua ducatur, etiam si nihil sit comprehensum in servitute constituenda, fieri possunt; ita tamen, ut nullum damnus domino fundi ex his detur. — § 2. Via publica intercedente haustus servitutum constitui posse placuit: et est verum; sed non solum si via publica interveniat, sed et si flumen publicus; eodem casu, quo interveniente flumine publico, viae itineris, actus servitus imponi potest, id est, si non sit impediendo transeunti magnitudo fluminis. — § 3. [Sic] et si non proximo meo praedio servitutum vicinus debeat, sed ulteriori, agere potero jus esse mihi ire agere ad illum fundum superiorem, quamvis servitutum ipse per fundum meum non habeam: sicut interveniente via publica, vel flumine, quod vado transiri potest. Sed loco sacro vel religioso, vel sancto interveniente, quo fas non sit uti, nulla eorum servitus imponi poterit. — § 4. Sed si fundus medius alterius inter me et te intercedit, haustus servitutum fundo tuo imponere potero, si mihi medius dominus iter ad transeundum cesserit: quemadmodum si ex flumine publico perenni haustu velim uti, cui flumini ager tuus proximus sit, iter mihi ad flumen cedi potest.

supr. de alienat. iudic. mutandi caus. — 48. L. 11, § 5, in fin. supr. h. t.; L. 7, § 1, supr. tit. prox. — 49. L. 23, supr. de iudic.; L. 11, § 2, infr. de except. rei iudic. — 50. L. 13, § 12, supr. de action. empt. — 51. L. 15, supr. h. t. — 52. L. 3, § 2, supr. de alienat. iudic. mutandi caus. — 53. L. 14, § ult. supr. de servit. — 54. L. ult. supr. de servit. praed. rustic. — 55. L. 14, in fin. supr. de servit. — 56. L. 7, § 1, supr. commun. praed.

18. JAVOLENUS, lib. 10, ex Cassio.

Si in publico opus factum est, qua aqua pluvia noceret, agi non potest: interveniente loco publico, agi poterit: causa ejus rei haec est, quod ea actione non tenetur, nisi dominus solus. — § 1. Sine permissu principis aqua per viam publicam duci non potest.

19. POMPONIUS, lib. 14, ad Quintum Mucium.

Labeo ait, Si patiente vicino opus faciam, ex quo ei aqua pluvia noceat; non teneri me actione aquae pluviae arcendae.

20. Idem, lib. 34, ad Sabinum.

Sed hoc ita, si non per errorem aut imperitiam deceptus fuerit: nulla enim voluntas errantis est.

21. Idem, lib. 32, ad Quintum Mucium.

Si in meo aqua erumpat, quae ex tuo fundo venas habeat: si eas venas incidideris, et ob id desiderat ad me aqua pervenire, tu non videris vi fecisse, si nulla servitus mihi eo nomine debita fuerit; nec interdico quod vi aut clam teneris.

22. Idem, lib. 10, ex variis Lectionibus.

Si usufructus fundi legatus fuerit, aquae pluviae arcendae actio heredi et cum herede est, cuius praedium fuerit. Quod si ex opere incommodum aliquod patitur fructuarius, poterit quidem interdum vel interdico experiri quod vi aut clam. Quod si ei non competet, quaerendum est, an utilis ei quasi domino actio aquae pluviae arcendae dari debeat: an vero etiam contendat jus sibi esse uti frui; sed magis est, utilem aquae pluviae arcendae ei actionem accommodare. — § 1. Non aliter restituere rem videbitur is qui opus fecit, quam si aquam coereat. — § 2. Sed etsi fructuarius opus fecerit, per quod aqua pluvia alicui noceat, erit quidem actio legitima cum domino proprietatis: an vero etiam utilis in fructuarius actio aquae pluviae arcendae danda sit, quaesitum est? Et magis est, ut detur.

23. PAULUS, lib. 16, ad Sabinum.

Quod principis aut senatus jussu, aut ab his qui primi agros constituerunt, opus factum fuerit, in hoc iudicium non venit. — § 1. Haec actio etiam in vectigalibus agris locum habet. — § 2. Aggeres iuxta flumina in privato facti, in arbitrium aquae pluviae arcendae veniunt, etiamsi trans flumen noceant: ita, si memoria eorum extet, et si fieri non debeant.

24. ALFENUS, lib. 4 Digestorum a Paulo epitomatorum.

Vicinus loci superioris pratium ita arabat, ut per sulcos, itemque porcas aqua ad inferiorem veniret. Quaesitum est, an per arbitrum aquae pluviae arcendae possit cogi, ut in alteram partem araret, ne sulci in ejus agrum spectarent? Respondit, non posse eum facere, quominus agrum vicinus, quemadmodum vellet, araret. — § 1. Sed si quis sulcos transversos aquarios faceret, per quos in ejus agrum aqua deflueret, hosce [ut] operiret, [per] arbitrum aquae pluviae arcendae posse cogere. — § 2. Sed et si fossas fecisset, ex quibus aqua pluvia posset nocere, arbitrum, si appareat futurum ut aqua pluvia noceret, cogere oportere fossas eum explere: et, nisi faceret, condemnare: tametsi antequam adjudicaret, aqua per fossas nunquam fluxisset. — § 3. Lacus cum aut crescerent aut decrescerent, nunquam neque accessionem neque decessionem in eos vicinis facere licet.

25. JULIANUS, lib. 5, ex Minucio.

Is, cuius fundo via debetur, aquae pluviae arcendae agere potest fundi sui nomine: quoniam deterior via facta fundo nocetur.

26. SCAEVOLA, lib. 4 Responsorum.

Scavola respondit, solere eos, qui juri dicundo praesunt, tueri ductus aquae, quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi jus non probaretur.

TIT. IV.

DE PUBLICANIS, ET VECTIGALIBUS, ET COMMISSIS.

1. ULPIANUS, lib. 53, ad Edictum.

Praetor ait: Quod publicanus, ejus publicani nomine, vi ademerit,

57. L. 3, § 3, supr. h. t. — 58. L. 4, § 2, supr. eod. — 59. L. 14, § ult. supr. de servit. l. 2, § 4, infr. de aqua quodid. — 60. L. 146, in fin. supr. tit. prox. — 61. L. 1, § 12, supr. h. t. — 62. L. 14, in fin. supr. tit. prox. — 63. L. 3, in fin. supr. h. t. — 64. L. 2, § 3, supr. eod. — 65. L. 3, § 3, supr. h. t. — 66. Adde L. 1, § 3, supr. eod. — 67. d. L. 1, § 3, § 2. — 68. L. 69, supr. de contrah. empt. l. 12, in pr. infr. de acquir. rer. domin. — 69. L. 10, in pr. supr. si servit. vindic. l. 3, § 2, infr. de aqua quodid. Tit. IV. — 1. Lib. 4, C. 61. — 2. § 4, infr. hic; L. 5, infr. h. t. — 3. § ult. infr. h. t. — 4. L. 12, in fin. infr. eod. — 5. Adde L. 2, § 20, infr. vi bonor. raptor. — 6. L. 195, § 3, infr. de verb. sign. — 7. Inst. de vi bonor. rapt. in pr. — 8. § 5, Inst. de oblig. que ex delict. — 9. L. 12, § 2, infr. h. t. — 10. L. 1, in pr. et § 4; L. 13, § 1, infr. eod. — 11. Obs. L. 13, § 3, infr. eod. — 12. Immo vide L. 21, § 1, supr. de noxalib. — 13. L. 7, § 4, supr. naute, erup. stabul. — 14. L. 5, § 7, supr. l. 2, C. ad exhib. — 15. L. 32, in pr. supr. ad leg. Aquil. — 16. L. 9, § 7, infr. h. t. — 17. d. L. 9, § 6. — 18. Vide tamen d. L. 9, § 3.

quodve familia publicanorum: si id restitutum non erit, in duplum; aut si post annum agetur, in simplex iudicium dabo. Item si dominum injuria furtive factum esse dicitur, iudicium dabo; si id ad quos ea res pertinet, non exhibebit, in dominos sine noxae deditione iudicium dabo. — § 1. Hic titulus ad publicanos pertinet. Publicani autem sunt, qui publico fruuntur: nam inde nomen habent, sive fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur; et omnes, qui quid a fisco conducunt, recte appellantur publicani. — § 2. Dixerit aliquis, Quid utique hoc edictum propositum est? quasi non et alibi praetor providerit furtis, damnis, vi raptis? Sed e re putavit, et specialiter adversus publicanos edictum proponere. — § 3. Quod quidem edictum in aliqua parte mitius est: quippe cum in duplum datur, cum vi bonorum raptorum in quadruplum sit, et furti manifesti aequae in quadruplum. — § 4. Et restituendi facultas publicano vi abreptum datur: quod si fecerit, omnino onere exiit, et penali actione ex hac parte edicti liberatur. Unde quaeritur, si quis velit cum publicano non ex hoc edicto, sed ex generali vi bonorum raptorum, damni injuria vel furti agere, an possit? et placet posse: idque Pomponius quoque scribit; est enim absurdum meliorem esse publicanorum causam, quam ceterorum effectam opinari. — § 5. Familiae nomen hic non tantum ad servos publicanorum referendum: verum et qui in numero familiarum sunt publicani. Sive igitur liberi sint, sive servi alieni, qui publicanis in eo vectigali ministrant, hoc edicto continentur. Proinde et si servus publicani rapuit, non tamen in ea familia constitutus, quae publico vectigali ministrat, hoc edictum cessabit. — § 6. Quod novissime praetor ait, Si hi non exhibebuntur, in dominos sine noxae deditione iudicium dabo, hoc proprium est hujus edicti: quod si non exhibentur servi, competi iudicium sine noxae deditione, sive habeant eos in potestate, sive non; sive possint exhibere, sive non possint.

2. GAIVS, lib. 21, ad Edictum provinciae.

Nec liceat domino absentem defendere;

3. ULPIANUS, lib. 53, ad Edictum.

Cum si exhibuissent, noxali iudicio convenirentur. Idcirco autem tam dura conditio eorum effecta est: quia debent bonos servos ad hoc ministerium eligere. — § 1. Quod ait in dominos, sic accipiendum est, in socios vectigalis, licet domini non sint. — § 2. Ante autem auctorem dicere oportet, quem vel quos desideret exhiberi, ut, si non exhibentur, hinc agatur. Sed si dicatur, Exhibe omnes, ut possim dignoscere quis sit, puta audiendum. — § 3. Si plures servi id furtum vel damnus admiserint: hoc debet servari, ut si tantum praestetur, quantum si unus liber fecisset, absolutio fiat.

4. PAULUS, lib. 52, ad Edictum.

Si publicanus, qui vi ademit, decesserit: Labeo ait in heredem ejus, quo locupletior factus sit, dandam actionem. — § 1. De rebus quas in usus advehendas sibi mandat praesides, divus Hadrianus praesidibus Galliarum scripsit, Ut quotiens quis in usus [aut] eorum qui provinciarum exercitiibus praesunt, aut procuratorum suorum, usus sui causa mittet quandam empturum: significet libello manu sua subscripto, eumque ad publicanum mittat, ut si quid amplius quam mandatum est, transferret, id munificum sit. — § 2. In omnibus vectigalibus fere consuetudo spectari solet: idque etiam principalibus constitutionibus cavetur.

5. GAIVS, ad Edictum praetoris urbani, titulo de Publicanis.

Hoc edicto efficitur, ut ante acceptum quidem iudicium restituta re actio evanescat: post acceptum vero iudicium nihilominus poena daret; sed tamen absolvendus est etiam, qui post acceptum iudicium restituere paratus est. — § 1. Quaerentibus autem nobis, utrum duplum totum poena sit, et praeterea rei sit persecutio; an in duplo sit et rei persecutio, ut poena simpli sit: magis placuit, ut res in duplo sit.

6. MODESTINUS, lib. 2, de Poenis.

Si multi publicani sint, qui illicite quid exegerant: non multiplicatur dupli actio, sed omnes partes praestabunt: et quod ab alio prestari non potest, ab altero exigetur, sicut divus Severus et Antoninus rescripserunt; nam inter criminis reos, et fraudis participes, multum esse constituerunt.

7. PAPIRUS JUSTUS, lib. 2, de Constitutionibus.

Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt, in vectigalibus ipsa praedia, non personas conveniri: et ideo possessores¹⁹ etiam praeriti temporis vectigal solvere debere: eoque exemplo actionem, si ignoraverint, habituros. — § 1. Item rescripserunt, pupillo²⁰ remittere se penam commissi, si intra diem trigesimum vectigal intulisset.

8. PAPIANUS, lib. 13 Responsorum.

Fraudati vectigalis crimen ad heredem²¹ ejus qui fraudem contraxit, commissi ratione transmittitur. — § 1. Sed si unus ex pluribus heredibus rem munem causa vectigalis subripiat, portiones caeteris non auferuntur.

9. PAULUS, lib. 5 Sententiarum.

Locatio vectigalium, quae calor licitantis ultra modum solite conductionis inflavit, ita demum admittenda est, si fidejussores idoneos, et cautionem is, qui licitatione vicerit²², offerre paratus sit. — § 1. Ad concidendum vectigal invitus²³ nemo compellitur: et ideo impleto tempore conductionis elocanda sunt. — § 2. Reliquatores vectigalium ad iterandum conductionem, antequam²⁴ superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt. — § 3. Debitores fisci, itemque reipublicae, vectigalia conducere prohibentur, ne ex alia causa eorum debita onerentur: nisi forte tales fidejussores obtulerint, qui debitum eorum satisfacere parati sint. — § 4. Socii vectigalium, si separatim partes administrent, alter ab altero minus idoneo in se portionem transferre jure desiderat. — § 5. Quod illicite²⁵ publice privatimque exactum est, cum altero tanto²⁶ passis injuriam exsolvitur: per vim vero extortum cum poena tripli restituitur, amplius extra ordinem plectuntur: alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicae²⁷ disciplinae postulat. — § 6. Earum rerum vectigal, quarum²⁸ nunquam praestitum est, praestari non potest. Quod si praestari consuetum indiligentia publicani omiserat, alius exercere non prohibetur. — § 7. Res exercitui paratas²⁹ praestationi vectigalium subijci non placuit. — § 8. Fiscus ab omnium vectigalium praestationibus immunis est: mercatores autem, qui de fundis fiscalibus mercari consueverunt, nullam immunitatem solvendi publici vectigalis usurpare possunt.

10. HERMOGENIANUS, lib. 5 Eptomarum.

Vectigalia sine³⁰ imperatorum praeepto, neque praesidi, neque curatori, neque curiae constituere, nec praecedentia reformare, et his vel adde vel diminuire licet. — § 1. Non solutis vectigalium pensionibus, pellere conductores, necdum etiam tempore conductionis completo, vel ab his usuras ex mora exigere permittitur.

11. PAULUS, lib. 5 Sententiarum.

Cotem ferro subigendo necessariam, hostibus quoque venundari, ut ferrum³¹, et frumentum, et sales, non sine periculo capitis licet. — § 1. Agri publici, qui in perpetuum locantur, a curatore sine auctoritate principali revocari non possunt. — § 2. Dominus navis si illicite aliquid in nave, vel ipse vel vectores imposuerint, navis quoque fisco vindicatur. Quod si absente domino id a magistro, vel gubernatore, aut proreta, nautave aliquo [id] factum sit: ipsi quidem capite puniuntur commissis mercibus, navis autem domino restituitur. — § 3. Illicitarum mercium persecutio heredem³² quoque affligit. — § 4. Eam rem, quae commissio vindicata est, dominus emere non prohibetur, vel per se, vel per alios, quibus hoc mandaverit. — § 5. Qui maximos fructus ex redemptione vectigalium consequuntur, si postea tanto locari non possunt, ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur³³.

12. ULPIANUS, lib. 58, ad Edictum.

Quantae audaciae, quantae temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat: idcirco praetor ad compescendam eorum audaciam hoc edictum proposuit. — § 1. Quod³⁴ familia publicanorum furtum fecisse dicitur, item si damnum injuria fecerit, et id, ad quos ea res pertinet, non exhibetur: in dominum sine noxae deditione iudicium dabo. — § 2. Familia³⁵ autem appellatione hic servilem familiam contineri sciendum est. Sed et si bona fide publicano alienus servus servit, aequae continebitur; fortassis et mala fide: plerumque enim vagi servi et fugitivi in hujusmodi operis etiam a scientibus habentur. Ergo et si homo liber serviat, hoc edictum locum habet. — § 3. Publicani³⁶ autem dicuntur, qui publica vectigalia habent conducta.

19. L. 36, infr. de iure fisci l. 2, C. sine censu. — 20. L. ult. § 9, infr. h. t. l. 9, § 5, supr. de minor. — 21. L. 11, § 3, l. 14, infr. h. t. — 22. L. 4, C. de vectigal. et commissis. — 23. L. 5, § 6, infr. de iure fisci l. 7, l. 11, C. de locato. — 24. L. 4, C. de susceptorib. praeposit. — 25. L. 2, l. 4, C. vectigal. nova. — 26. L. 5, in fin. supr. h. t. — 27. L. 9, § 1, vers. sanso infr. de solutio. — 28. L. 4, in fin. supr. h. t. — 29. d. l. 4, § 1. — 30. C. vectigal. nova institui non posse. — 31. Adde l. 1, l. 2, C. quae res exportari. — 32. L. 8, in pr. supr. l. 1, § 1, infr. h. t. — 33. Immo vide l. 9, § 2, supr. eod. l. 3, § 6, infr. de iure fisci — 34. L. 1,

13. GAIVS, lib. 15, ad Edictum provinciale.

Sed et hi qui salinas³⁷, et cretifodinas, et metalla habent, publicarum loco sunt. — § 1. Praeterea et si quis vectigal conductum a republica ejusdam municipii habet, hoc edictum locum habet. — § 2. Sive autem vendidit servum, vel manumisit, vel etiam fugit servus: tenebitur servi nomine, qui tam factiosam familiam habuit. — § 3. Quid tamen, si servus decesserit? videndum an publicanus teneatur quasi facti sui nomine; sed puto, quia³⁸ facultatem non habet exhibendi, nec dolus ejus interessit, debere eum liberari³⁹. — § 4. Hanc actionem perpetuam dabimus, et heredi, caeterisque successoribus.

14. ULPIANUS, lib. 8 Disputationum.

Commissa vectigalium nomine etiam ad⁴⁰ heredem transmittuntur; nam quod commissum est, statim desinit ejus esse qui crimen contraxit: dominique rei vectigali acquiritur; eapropter commissi persecutio, sicut adversus quemlibet possessorem, sic [et] adversus heredem competit.

15. ALFENUS VARUS, lib. 7 Digestorum.

Caesar, cum insulae Cretae cotorias locaret, legem ita dixerat, Ne qui praeter redemptorem post idus Martias cotiam ex insula Creta fuditio neve eximio, neve avellito: cujusdam navis onusta cotibus ante idus Martias ex portu Cretae profecta, vento⁴¹ relata in portum erat: deinde iterum post idus Martias profecta erat. Consulebatur, num contra legem post idus Martias ex insula Creta cotes exisse viderentur? Respondit, tametsi portus [quoque], qui insulae essent, omnes ejus insulae esse viderentur: tamen eum qui ante idus Martias profectus ex portu [esset], et relatus tempestate in insulam deductus esset, si inde exisset, non videri contra legem fecisse: praeterea, quod jam initio evectae cotes viderentur, cum et ex portu navis profecta esset.

16. MARCIANUS, libro sing. de Delatoribus.

Interdum nec vendendus est [is] servus qui in commissum cecidit, sed pro eo aestimatio a domino danda est. Divi enim Severus et Antoninus rescripserunt, cum is servus qui actum domini gessisse diceretur, in commissum cecidisset: venire non debuisset, sed pro eo viri boni arbitrato aestimationem oportuisse dari. — § 1. Idem autem eadem [epistola] rescripserunt, si quis improffessus servus fuerit, et probabitur in commissum cecidisse, et aut uxorem corrupisse domini dicitur, aut aliud quid gravius admisit, ut cognoscat procurator: et si in his causis [esse] compertus sit, aestimetur, et ad poenam domino tradatur. — § 2. Idem divi Severus et Antoninus rescripserunt, mancipiis commissis res peculiares non esse in eadem causa, nisi hoc, quod proprio nomine in causam commissi incidit. — § 3. Quotiens quis mancipia invecta professus non fuerit, sive venalia, sive usualia: poena commissi est; si tamen novitia mancipia fuerint, non etiam veterana. Sunt autem veterana⁴², quae anno continuo in urbe servierint: novitia autem mancipia intelliguntur, quae annum nondum servierint. — § 4. Servi qui in fuga⁴³ sunt, in commissum non cadunt: cum sine voluntate domini fines egressi sunt; et ita principalibus constitutionibus cavetur: sicut divus quoque Pius sapientissime rescripsit, ne⁴⁴ [inquit] in potestate servorum sit, in vitis vel ignorantibus dominis fugae se tradendo, potestati dominorum se subtrahere. — § 5. Licet quis se ignorasse⁴⁵ dicat, nihilominus eum in poenam vectigalis incidere, D. Hadrianus constituit. — § 6. Divi quoque Marcus et Commodus rescripserunt, non imputari publicano, quod non instruxit transgredientem: sed illud custodiendum, ne decipiat profiteri volentes. — § 7. Species pertinentes ad vectigal: cinnamonum, piper longum, piper album, folium pentasphaerum, [folium barbaricum], costum, costamomum, nardi stachys, cassia turiana, xylocassia, smyrna, amomum, zingib. r. malabathrum aroma indicum, chalbani, laser, [alchelucia], sargogalla, onyx arabicus, cardamomum, xylocinnamomum, opus byssicum, pelles babilonicae, pelles parthicae, ebur, ferrum indicum, carpasum, lapis universus, margarita, sardonix, ceraunium, hyacinthus, smaragdus, adamas, salitrus, callainus, beryllus, chelynie, [hopia] indica, vel adserta, metaxa, vestis serica vel subserica, vel attincta, carbasa, nema sericum, spadones, indici leones, leaenae, pardi, leopardi, pantherae, purpura: item [marocorum] lana, fucus, capilli indici. — § 8. Si propter necessitatem⁴⁶ adversae tempestatum expositum onus fuerit, non debere hoc commissio vindicari, divi fratres rescripserunt. — § 9. Divus quoque Pius rescrip-

in pr. supr. h. t. — 35. d. l. 1, § 5. — 36. d. l. 1, § 1, l. 16, infr. de verb. sign. — 37. Ara. l. 17, § 1, infr. d. l. 1, l. 11, C. de vectigal. — 38. Adde l. 26, § 4, supr. de noxalib. — 39. Immo vide l. 1, in fin. supr. h. t. — 40. L. 8, in pr. supr. eod. vide tamen l. ult. § 15, infr. eod. l. 111, § 1, infr. de reg. jur. — 41. d. l. ult. § 8. — 42. Adde l. ult. § 15, infr. eod. edict. — 43. L. 9, supr. de serv. exportand. l. 1, l. 2, C. si serv. export. — 44. Adde l. 27, § 1, in fin. supr. ad leg. Aquil. — 45. Adde § 6, § 10, infr. h. t. — 46. L. 15, supr. h. t.

id fecit, Labeo scribit, integrum jus eum habere, perinde ac si in possessione perseverasset: quod si, cum posset succurrere, maluit relinquere, amissis eum praetoris beneficium: neque, si postea succurri sibi velit, audiendum eum. Cassius autem ait, si metu ruinae recesserit, non hoc animo, ut aedificia derelinqueret, restituendum in possessionem; eum tamen, qui missus in possessionem non accesserit, si aedificia ruerint, beneficium praetoris amissis scribit; hoc ita accipiendum erit, si venire in possessionem neglexit: non si, dum venit, ruerunt. — § 56. Si quis ex hoc edicto a praetore in possessionem missus non est admissus⁵⁸, in factum actione uti poterit, ut tantum praestetur ei, quantum praestari ei oporteret, si de ea re cautum fuisset; extenditur enim actio in id tempus, quo damnum committitur.

16. PAULUS, lib. 60, ad Edictum.

Antequam damnum detur, impunitum est factum ejus, qui neque promisit neque admisit in possessionem: si tamen ante damnum datum, vel cavet, vel possessione cessit.

17. ULPIANUS, [lib. 53, ad Edictum].

Si quis missus in possessionem, cum esset in aliena potestate, non admisit: plerique putant noxalem actionem eo nomine competere. — § 1. Quid deinde, si procurator prohibuerit? utrum in ipsum an in dominum dabimus? Sed verius est, in ipsam dandam. — § 2. Sed et in actore municipium, tutore caeterisque qui pro aliis interveniunt, idem erit dicendum. — § 3. Actio ista, quae in factum est, perpetuo dabitur, et⁵⁹ heredi, et in heredem caeteraque, itemque caeteris personis — § 4. Judex qui de damno infecto cognoscit, etiam alienato praedio ab eo cum quo actum fuerit, damnum aestimare solet omne, quodcumque ante iudicium contigit.

18. PAULUS, lib. 48, ad Edictum.

Damni infecti stipulatio competit non tantum ei, cujus in bonis res est: sed etiam cujus periculo [res] est. — § 1. [Sed] quod opere facto consecutus sit domini capione promissor, non teneri eum eo nomine, Pomponius ait: quia nec loci nec operis vitio, sed publico jure id consecutus sit. — § 2. Ei, cujus ususfructus aedium est, de vitio earundem aedium cavere non oportet⁶⁰, etsi alias vicinas habeat: quia reficiendi habet facultatem; nam qui viri boni arbitrato uti debet, reficiendi quoque potestatem consequitur. Ergo nec proprietarius audiri debet, si velit sibi cavere a fructuario aedium nomine, quas vicinas fructuario habeat: quia habet cum fructuario actionem, ut viri boni arbitrato is fruatur. — § 3. Sed inquilino meo, si vicinas aedes habeat, cavere debebo damni infecti propter eas aedes. — § 4. Ei qui in conducto solo superficiem imposit, dominus soli, quod vitio soli damnum futurum sit, cavere non debet, nec soli domino superficiarius: quia invicem ex conducto et locato habent actiones; in quas tamen actiones ultra culpam nihil venit: plus autem in stipulationem venit damni infecti, quod quidem vitium ejus esse dicitur. — § 5. Si is qui unas aedes habebat, stipulatus fuerit, deinde vicinas comparaverit: in earum quoque nomine, quas post interpositam stipulationem comparasset, promissorem obligaret, quaesitum est? Julianus scribit, videndum, ne earum duntaxat nomine cautum habeat, de quibus inter eum et promissorem initio actum fuerit. Cui consequens videri posse, ut et cum aedium communium nomine duos socii stipulenter, de eo duntaxat damno cavere videatur, quod in parte aedium cuique socio datum fuerit; sive ergo redemerit alteram partem quae ex his, sive adjudicata fuerit: non augeri promissionis obligationem. Pomponius relata Juliani scriptura, dicit non se improbare.

§ 6. Si autem res aliquas post stipulationem interpositam in domo habere coepit stipulator, quae ex ruina vicinarum aedium perierint, agere ex stipulato potest: licet tunc, cum stipularetur, haec res non fuerint. — § 7. Emptor praedii, si ante traditionem stipulatus sit, cautum habebit de eo damno quod post traditionem factum erit. — § 8. Venditor⁶¹ autem aedium, prius quam possessionem tradat, stipulari oportet: quia hujus quoque rei culpam praestat. — § 9. Sed quid fiet, si venditor sine culpa stipulari non poterit, et ob hoc emptor stipulatus fuerit? nonne damnum patitur? an hoc damnum in aliena re acciderit, revolvitur autem ad emptorem, quia actionem ex empto non habet? Sed nihil in hac causa proficit stipulatio, nisi in id quod post traditionem accidit: quia dum venditoris custodia est, is stipulari debet, omnemque diligentiam emptori praestare; et quod⁶² alia actione queri potest, id in stipulationem damni infecti omnino non deducitur. — § 10. Sed si venditor interpo-

58. L. 4, § 2, supr. h. t. l. 4, § 5, infr. ne vis fiat ei, qui in poss. — 59. L. 24, § 1, infr. h. t. — 60. L. 20, infr. eod. — 61. L. 36, supr. de set. empti. — 62. L. 52, in fin. infr. h. t. — 63. L. 39, § 3, infr. eod. — 64. L. 15, § 22, supr. eod. — 65. L. 5, in fin. l. 13, § 1, supr. eod. — 66. L. 14, supr. eod. — 67. L. 9, § 1, l. 13, § 8, l. 15, § 2, supr. eod. — 68. d.

suerit stipulationem, etiam id damnum continebit, quod post traditionem emptori contigerit quod esse iniquissimum Aristot ait: quoniam si emptor quoque damni infecti stipulatus esset, duobus promissor ejusdem nomine obligaretur; nisi forte id contra se habeat, quia in hoc sit stipulatio, quanti ea res erit: ut possit videri, nihil interesse jam venditoris stipulatione damni infecti interposita. — § 11. Sabini sententia vera est, existimantis; ut, si dum aedificatur, intra diem stipulationis comprehensum supra parietem meum domus deciderit, eumque vitiaverit, licet post diem stipulationis paries decidat, possim agere; quia damnum jam tunc acceperim, cum paries vitiosus factus sit: nec quicquam obstat, quominus etiam antequam decidat, agi possit: et si ita concussus sit paries, ut nulla ratione recipi possit, ideoque deponendus est, non minoris litem aestimandam, quam si decidisset. — § 12. Si vicinas aedes habeamus et invicem desideremus damni infecti cavere: nihil obstat, quominus et ego in tuarum aedium possessionem mittar, [et] tu in mearum. — § 13. Si pupillus prohibuit iri in possessionem damni infecti: placet, in eum non injuste competere hanc in factum actionem. — § 14. Si mandatu meo alius prohibuerit, in me haec actio competit. — § 15. Non solum autem eum punit praetor, qui in possessione esse, sed etiam eum, qui possidere passus non fuerit: cum alicuique, si is qui jussu praetoris coepit possidere, et possidendo dominium capere, aut non admissus, aut ejectus inde fuerit, utile interdictum unde vi, vel Publicianam actionem habere potest. Sed si in factum actione egerit, his actionibus experiri non potest, cum praetor id agat, ne damnum faciat actor, non ut in lucro versetur. — § 16. Si procurator⁶³ meus damni infecti stipulatus sit, causa cognita mihi ex ea stipulatione actio competit.

19. GAIVS, ad Edictum praetoris urbani, titulo de Damno infecto.

Eorum, qui bona fide absunt⁶⁴, in stipulatione damni infecti jus non corrumpitur, si reversis cavendi ex bono et aequo potestas datur: sive domini⁶⁵ sint, sive aliquid in ea re jus habeant; qualis est creditor⁶⁶, et fructuarius⁶⁷, et superficiarius⁶⁸. — § 1. Sive aedium vitio, sive operis, quod vel in aedibus, vel in loco urbano, aut rustico, privato, publico⁶⁹ fiat, damni aliquid futurum sit: curat praetor, ut timentis damnum caveatur.

20. Idem, lib. 19, ad Edictum provinciale.

Inter fructuarium⁷⁰, et dominum proprietatis, ita damni infecti cautio locum habet, si fructuarius quidem de soli vitio cavere sibi desideret: dominus vero proprietatis de operis vitio, si quid fructuarius aedificet; nam de ruina aedium neuter ab altero cautionem desiderare potest: fructuarius ideo, quia refectio aedium ad ejus ipsius onus non pertinet⁷¹; proprietarius ideo, quia usitata stipulatio, qua de re restituenda fructuarius cavet, ad hunc quoque casum porrigitur.

21. PAULUS, lib. 8, ad Plautium.

Si filiusfamilias⁷² inquilinus sit: videamus, an damni infecti nomine in possessionem aedium vicinarum mittendus sit? Queritur enim an filiusfamilias non videtur damnum pati, si res peculiares sint, et pater possit stipulari, si quid ei damni fiat? Et placet, utrumque eorum in possessionem mitti, nisi sic filius conduxerat, ut ejus periculo aedes essent; tunc enim, quia solus tenetur ex locato, recte dicitur ipsum mittendum in possessionem, nisi ei caveatur.

22. Idem, lib. 10, ad Plautium.

Si proprietarius de damno infecto repromississet, vel forte aliquid praestitisset, aut contra fructuarium aliquid praestitit: iniquum est, alterum sine damno uti aedibus, aut aedes habere; et si obtulerit proprietarius aliquid, non est fructuario permittendum uti, nisi contulerit: idemque fructuario praestandum est, ut proprietarius cogatur ei conferre. Ergo et solum retinebit fructuarius, si aedes ceciderint, donec praestetur ei damnum: ut quod haberet vicinus missus in possessionem, id fructuarius habeat, qui damnum vicino sarcit. Eadem erunt, et si minimum damnum detur. — § 1. Plautius: Si ab eo, quem dominum esse negare, vellem sub hac exceptione, Si dominus non esset, satisfdari; ab eo vero, quem dominum esse dicerem, pure repromittit: constitit non debere me impetrare, sed debere me eligere, a quo velim mihi cavere.

23. ULPIANUS, lib. 63, ad Edictum.

In stipulatione damni infecti, quae aedium nomine interponitur, nisi in solidum fuerit cautum, mittetur in possessionem.

L. 9, § 4, d. l. 15, § 5. — 69. L. 15, § 6, supr. l. 31, in pr. infr. eod. — 70. L. 13, § 5, supr. eod. — 71. Immo vide l. 7, § 2, l. 65, supr. de usufr. — 72. Adde l. 21, in a. cub. et caus. in poss.

24. *Idem*, lib. 81, ad Edictum.

Fluminum publicorum communis⁷³ est usus, sicuti viarum publicarum, et litorum. In his igitur publice licet cuilibet edificare, et destrueri: dum tamen hoc sine incommodo cujusquam fiat. Propter quod operis duntaxat nomine cum satisfactione cavetur⁷⁴; de vitio loci nihil cavetur: hoc est, operis, quod quis facit; ceterum si ex loci vitio damnum timeatur, minime dicendum est, damni infecti stipulationem interponi oportere: quis enim dabit, neminem esse, a quo stipuletur, cum nemine nihil faciente locus ipse publicus damnum inferat sui natura? Ad ea igitur opera stipulatio pertinet, quæcunque privatim fiant. Quid ergo, si publice opus fiat? de vitio ejus quid faciemus? Et plane, vel princeps adendus est, vel, si in provincia fiat, præses provincie. Sed quod dictum est, operis vitio, sic accipiendum est, etiamsi proponas non tantum tempore quo opus sit, sed etiam si postea contingat: quid enim, si ideo, quia male edificatum erat, corruit? — § 1. Adicitur in hac stipulatione et heredum⁷⁵ nomen, vel successorum, eorumque, ad quos ea res pertinet: successores autem non solum qui in universa⁷⁶ bona succedunt, sed et hi, qui⁷⁷ in rei tantum dominium successerint, his verbis continentur. — § 2. Sed ut ne quid ædium, loci, operisve vitio, damnum factum sit, stipulatio interponitur de eo sine satisfactione: que non solum ad totas ædes, sed etiam ad partem ædium pertinet. Vitium autem ædium, et loci esse Labeo ait, quod accidens extrinsecus infirmiores eas facit; denique nemo dixit, palustris loci vel arenosi nomine, quasi vitiosi, committi stipulationem: quia naturale vitium est: et ideo nec [ea] stipulatio interponitur, neque interposita committitur.

§ 3. Hæc stipulatio utrum id solum damnum contineat, quod injuria fit: an vero omne damnum, quod extrinsecus contingat? Et Labeo quidem scribit, de damno dato non posse agi, si quid forte terræ motu, aut vi fluminis, aliove quo casu fortuito acciderit. — § 4. Servius quoque putat, si ex ædibus promissoris vento tegula⁷⁸ dejecta damnum vicino dederint, ita eum teneri, si ædificii vitio id acciderit, non si violentia ventorum, vel qua alia ratione, que vim habet divinam. Labeo et rationem adjicit: quod si hoc non admittatur, iniquum erit; quod enim tam firmum ædificium est, ut fluminis, aut maris, aut tempestatis, aut ruinae, incendii, aut terræ motus vim sustinere possit? — § 5. Idem Servius putat, si controversia aquæ insulam subverterit, deinde stipulatoris ædificia ceciderint, nihil eum ex stipulatu consecuturum: quia id nec operis nec loci vitio factum est. Si autem aqua vitiet fundamenta, et sic ædificium ruisset, committi stipulationem ait: multum enim interesse, quod erat alioquin firmum, vi fluminis lapsum sit protinus; an vero ante sit vitiatum, deinde sic ceciderit; et ita Labeo probat: etenim multum⁷⁹ interesse, quod ad Aquiliam pertinet, sanum quis hominem occidat, an vero factum imbecilliorum. — § 6. Quanquam autem stipulatio committitur, cum vitio operis damnum factum sit: tamen, si opus factum est ab eo, quem promissor prohibere non potuit, stipulatio non committitur. Plane, si prohibere potuit, committitur. Sed si quis promissoris nomine fecerit, vel ejus pro quo promissum est, aut alius qui prohiberi potuerit: stipulatio ista committitur. — § 7. Præterea si furni⁸⁰ nomine damni infecti fuerit cautum, deinde furnarii culpa damnum datum fuerit: non venire in hæc stipulationem, plerisque videtur. — § 8. Cassius quoque scribit, quod contra ea damnum datum est, cui nulla ope occurri poterit, stipulationem non tenere. — § 9. Item apud Vivianum relatum est. Si ex agro vicini arbores vi tempestatis contractæ, in meum agrum deciderint, eoque facto vitibus meis vel segetibus nocent, vel ædificia demoliant: stipulationem istam, in qua hæc comprehenduntur, *Si quid arborum locive vitio acciderit*, non esse utilem: quia non arborum vitio, sed vi ventorum, damnum mihi datum est. Plane si vetustate arborum hoc fiebat, possumus dicere, vitio arborum damnum mihi dari.

§ 10. Idem ait, Si damni infecti ædium mearum nomine tibi promissero, deinde hæc ædes vi tempestatis in tua ædificia ceciderint, eaque diruerint, nihil ex ea stipulatione præstari; quia nullum damnum vitio mearum ædium tibi contingit: nisi forte ita vitiose meæ ædes fuerint, ut qualibet vel minima tempestate ruerint. Hæc omnia vera sunt. — § 11. Sed et quod Labeo putat, verum est, referre, utrum impulsu fluminis ruit ædificium, an deterius ante factum postea ceciderit. — § 12. Item videamus, quando damnum dari videatur: stipulatio enim hoc continet, quod vitio ædium, loci, operis, damnum sit; utputa in domo mea puteum aperio, quo aperto venæ putei [tui] præcisæ sunt: an teneat? Ait

73. L. 4, in fin. supr. de rer. divis.; L. 8, § 2, infr. ne quid in loco publ. — 74. L. 15, § 3, supr. h. t. — 75. L. 17, § 3, supr. eod. — 76. L. 9, § 12, supr. de hered. instit. — 77. L. 14, § 5, vers. unde quidam supr. quod met. caus. — 78. L. 43, in pr. infr. h. t. — 79. *Immo vide* L. 7, § 5, supr. ad leg. Aquil. — 80. L. 27, § 10, supr. de t. — 81. L. 26, infr. h. t. — 82. L. 24, in fin. supr. eod.; L. 1, § 21, infr. de aqua et a. que plur.; L. 6, § 6, infr.

Trebatius, non teneri me damni infecti: neque enim existimari, operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua jure⁸¹ meo usus sum. Si tamen tam alte fodiam in meo, ut paries tuus stare non possit, damni infecti stipulatio committetur.

25. PAULUS, lib. 78, ad Edictum.

Trebatius ait etiam eum accipere damnum, cujus ædium luminibus officiat.

26. ULPIANUS, lib. 81, ad Edictum.

Proculus ait, cum quis jure⁸² quid in suo faceret, quamvis promississet damni infecti vicino, non tamen eum teneri ea stipulatione: veluti si juxta mea ædificia habes ædificia, eaque jure⁸³ tuo altius tollas; aut si in vicino tuo agro cuniculo vel fossa aquam meam avoces; quamvis enim et hic aquam mihi adducas⁸⁴, et illic luminibus⁸⁵ officias, tamen ex ea stipulatione actionem mihi non competere: scilicet quia non debeat videri is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur: multumque interesse utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibetur; mihi videtur vera esse Proculi sententia.

27. PAULUS, lib. 78, ad Edictum.

Plures⁸⁶ earandem ædium domini, singuli stipulari debent sine adjectione partis: quia de suo quisque damno stipulatur: quinimo pars adjecta partis partem facit. Contra si plures domini sint vitiosarum ædium, pro sua⁸⁷ quisque parte promittere debet: ne singuli in solidum obligentur.

28. ULPIANUS, lib. 81, ad Edictum.

In hac stipulatione venit, quanti⁸⁸ ea res erit. Et ideo Cassius scribit, eum, qui damni infecti stipulatus est, si propter metum ruinae ea ædificia, quorum nomine sibi cavet, fultus: impensas ejus rei ex stipulatu consequi posse. Idemque juris esse, cum propter vitium communis parietis, qui cavet sibi damni infecti onerum eorum relevandorum gratia, que in parietem incumbunt, ædificia sua fultus. In eadem causa est detrimentum quoque propter emigrationem inquilinorum, quod ex justo metu factum est. Aristo autem non male adjicit, sicuti hic exigit Cassius, ut [si] justus metus migrandi causam præbuerit: ita in ejus personam, qui fultus, eadem Cassium dicere debuisset, si justo metu ruinae fulcire coactus est.

29. GAUUS, lib. 28, ad Edictum provinciale.

Sed et si conducere hospitium nemo velit propter vitium ædium, idem erit dicendum.

30. ULPIANUS, lib. 81, ad Edictum.

Damni infecti stipulatio pertinet, etiam si quid ejus operis, quod in fundo meo aquæ ducendæ causa, vitio damnum mihi contigerit: solet enim opus in alieno fieri, cum jure servitutis, quam quis habet alieno agro impositam, opus in alieno faciat. — § 1. Utrum autem de hoc opere promittere an satisfacere debeat, videamus? Movet, quod in alieno facit: qui autem de alieno cavet, satisfacere⁸⁹ debet: qui de suo, reprimere. Unde Labeo putabat, eum, qui modulorum aut rivi faciendi causa opus faceret, etiam satisfacere debere, qua et in alieno solo faceret; sed cum de opere quod facit, exigatur stipulatio; consequens erit dicere, sufficere repositionem: quodammodo enim de re sua cavet. — § 2. Quod dictum est aquæ ducendæ causa, exempli gratia scriptum est: ceterum ad omnia opera stipulatio accommodabitur.

31. PAULUS, lib. 78, ad Edictum.

Qui vias publicas muniunt, sine damno⁹⁰ vicinorum id facere debent. — § 1. Si controversia sit, dominus sit necne, is a quo cautio exigitur, sub exceptione satisfacere jubetur⁹¹.

32. GAUUS, lib. 28, ad Edictum provinciale.

Si ædibus meis proximæ sint ædes meæ et tuæ: queritur an, si hæc vitium mihi faciant, cavere mihi debeas pro damno propriarum mearum ædium: scilicet pro qua parte dominus existes? Et hoc plerisque placet: sed movet me, quod ipse meas ædes reficere possim, et impensas pro socio, aut communi dividendo judicio, pro parte consequi; nam et si unas ædes communes tecum habui, eaque vitium faciant, et circa refectionem earum cessare videaris, nostri præceptores negant cavere te debere; quia ipse reficere possim, receptorum pro parte, quod impenderim, judicio societatis, aut communi dividendo: ideo et interpositam cautionem minus

que in fraud. ered.; L. 3, § 2, infr. de libero homin. exhib.; L. 85, L. 129, in pr. infr. de reg. jur. — 83. L. 8, L. 9, C. de servit. — 84. L. 10, C. de t. — 85. L. 9, L. 14, supr. de servit. pred. urban. — 86. L. 7, § 1, supr. h. t. — 87. L. 40, § 1; L. 44, infr. eod.; L. 2, § 2, infr. de stipul. prætor. — 88. L. 37, infr. h. t. — 89. L. 1, § 6, in fin. infr. de stipul. prætor. — 90. L. 15, § 6, § 10; L. 24, in pr. supr. h. t. — 91. L. 7, in pr. supr. eod.

utilem futuram; quia alia ratione damnum mihi posset sareri; et est plane nostrorum præceptorum hæc sententia, ut credamus, inutilem esse damni infecti stipulationem, quo casu damnum alia⁹² actione sareri possit: quod et in superiore casu intelligendum est.

33. ULPIANUS, lib. 42, ad Sabinum.

Inquilino⁹³ non datur damni infecti actio: quia possit ex conducto agere, si dominus eum migrare prohiberet;

34. PAULUS, lib. 10, ad Sabinum.

Utique si pro præterita pensione satisfacere paratus fuit, alioquin justa retentio⁹⁴ pignoris domino fieri videretur. Sed etsi quasi pignora retinuerit, et ea interierint ruina vicinarum ædium: potest dici etiam pignoratitia actione locatorem teneri, si poterat eas res in locum tutiorem transferre.

35. ULPIANUS, lib. 42, ad Sabinum.

In parietis communis demolitione ea queri oportet, satis aptus fuerit oneribus ferendis, an non feruit aptus.

36. PAULUS, lib. 10, ad Sabinum.

Sed ita idoneum esse plerique dixerant, ut utrumque ædium onera jure modo jure imponantur, communis paries sustinere possit.

37. ULPIANUS, lib. 42, ad Sabinum.

Nam si non fuit, utique demolire eum oportuit; nec debet, si quid damni ex hac causa attigit, is, qui demolitus est, teneri: nisi sumptuose, aut parum bonus novus paries sit restitutus. Quod si fuerit idoneus paries, qui demolitus est: in actionem damni infecti venit id, quanti⁹⁵ interfuit actoris, eum parietem stare; merito: nam si non debuit demoliri, restituere eum debet proprio sumptu. Sed et si qui reditus ob demolitionem amissus est, consequenter restitui eum Sabinus voluit. Si forte habitatores migraverunt, aut non tam commode habitare possunt: imputari id ædificatori potest.

38. PAULUS, lib. 10, ad Sabinum.

Emptor ædium ante traditam sibi possessionem ideo inutiliter stipulatur, quia venditor omnem diligentiam ei præstare debet, tunc⁹⁶ certe utiliter stipulatur, cum omnis culpa a venditore aberit: veluti si precario emptori in his ædibus esse permisit, custodiamque ei futuram tradidit. — § 1. Si agri nomine non caveatur: in eam partem agri mittendum est, ex⁹⁷ qua periculum timeatur; ejusque rei ratio hæc est, quod in ædificiis partes quoque reliquæ a vitiosa parte traherentur: at in agris non idem est: sed dicendum est, ut in domibus quoque majoribus interdum causa cognita prætor statuere debeat, in cujus partis possessionem is, cui non caveatur, mitti debeat. — § 2. Deducto⁹⁸ veteris parietis pretio, si quid amplius sit, æstimari debet: et si quid ex veteri in novum conjectum sit, deduci [ex] æstimatione oportet.

39. POMPONIUS, lib. 21, ad Sabinum.

Inter quos paries communis est ædificiorum nomine, que quisque propria habet, stipulari damni infecti solet; sed tunc ea cautio necessaria est, cum aut alter solus ædificat, et vitium ex opere futurum est, aut alter pretiosiora ædificia habet, et plus damni sensurus sit decedente pariete: alioquin, si æquale periculum est, quantum quis vicino præstat, tantum ab eo consequitur. — § 1. Si domus in controversia sit: dicendum est, damni infecti onus possessoris⁹⁹ esse, cum id, quod præstiterit, impatere domino prædii possit; quod si non caveat, possessionem ad petitorum, qui cavere damni infecti sibi velit, transferat: nam iniquum est stipulatorem compelli, relicto prædio, ex quo damnum veretur, dominum querere. — § 2. Damni infecti stipulatio latius patet; et ideo et ei, qui superficiariam¹⁰⁰ insulam habet, utilis est ea stipulatio, si quid in superficie damnum datum fuerit: et nihilominus et soli domino utilis est, si solo damnum datum fuerit, ut tota superficies tolleretur; fraudabitur enim dominus soli in pensione percipienda. — § 3. Alieno¹ nomine stipulari licet licet, ut, quod damnum domino datum sit, comprehendatur; cavere autem debet is, qui stipulabitur, dominum ratam rem habiturum: exceptioque procuratoria stipulationi inserenda erit, sicut in stipulatione legatorum; quod si ei non cavebitur, mittendus est in possessionem procurator omnimodo, ut ei exceptio procuratoria non noceat. — § 4. In æstimando novo pariete, ratio² haberi debet ejus impense, que modum probabilem non excedit in vetere ejus cultus: non qui [non] adgravet.

94. L. 18, § 9, in fin. supr. eod. — 95. L. 13, § 6, supr. eod. — 96. L. 9, supr. in quib. caus. pign. — 97. L. 28, supr. h. t. — 98. L. 18, § 7, supr. eod. — 99. L. 15, § 11, supr. eod. — 100. L. 39, in fin. infr. eod. — 99. *Adde* L. ult. § 1, C. de petit. hered. — 100. L. 13, § 8, supr. h. t. — 1. L. 13, § 13; L. 14, in fin. supr. eod.; L. pen. supr. si quis cautionib. —

40. ULPIANUS, lib. 45, ad Sabinum.

Ex damni infecti stipulatione non oportet infinitam³ vel immoderatam æstimationem fieri, utputa ob tectoria, et ob picturas; licet enim in hæc magna erogatio facta est, attamen ex damni infecti stipulatione moderatam æstimationem faciendam: quia honestus modus servandus est, non immoderata cujusque luxuria subsequenda. — § 1. Quotiens communis parietis vitio quid accidit, socius socio nihil præstare debet: cum communis rei vitio contigerit. Quod si quia alter eum presserat, vel oneraverat, idcirco damnum contigit: consequens est dicere, detrimentum hoc, quod beneficio ejus contingit, ipsum sarere debere. Quod si æqualiter utriusque oneribus pressus decidit, rectissime Sabinus scripsit, [parietem] utriusque causam esse. Sed si alter plures vel pretiosiores res amiserit: melius est dicere, quia ambo onera imposuerunt, neutri adversus alterum competere actionem. — § 2. Quotiens ex damni infecti plures⁴ agunt, quia in eadem re damnum passi sunt, id est, in ædibus, non debet unusquisque eorum in solidum agere, sed in partem experiri: neque enim damnum, quod pluribus datum est, unicuique in solidum [datum est], sed in partem datum esse videtur; et ideo unicuique in partem competere actionem Julianus scripsit. — § 3. Item si plurium⁵ sint ædes, que damnose imminet, utrum adversus unumquemque dominorum in solidum competit, an in partem? Et scripsit Julianus, quod et Sabinus probat: pro dominicis partibus conveniri eos oportere. — § 4. Si plures domini sint ædium, qui damni infecti sibi prospicere volunt, nec quisquam eis damni infecti caveat: mittendi omnes⁶ in possessionem erant, et quidem æqualibus⁷ partibus, quamvis diversas portiones domini habuerint: et ita Pomponius scribit.

41. POMPONIUS, lib. 21, ad Sabinum.

In reficiendo communi pariete ei potius facultas ædificandi præstatur, qui magis idonee reficere parietem velit. Idemque dicendum est, et si de eodem itinere rivove reficiendo inter duos vel plures queratur.

42. JULIANUS, lib. 58 Digestorum.

Si servus communis damni infecti stipulatus fuisset, perinde habetur, ac si ipsi domini sua voce pro partibus stipularentur.

43. ALFENUS [VARUS], lib. 2 Digestorum.

Damni infecti quidam vicino reprimiserat: ex ejus ædificio tegula⁸ vento dejecta ceciderant in vicini tegulas, easque fregerant. Questum est, an aliquid præstari oportet? Respondit: si vitio ædificii et infirmitate factum esset, debere præstari: sed si tanta vis venti fuisset, ut quamvis firma ædificia convelleret, non debere; et quod in stipulatione est, *Sive quid ibi ruet*, non videri sibi ruere, quod aut vento, aut omnino aliqua vi extrinsecus admota caderet: sed quod ipsum per se concideret. — § 1. Cum parietem communem ædificare quis cum vicino vellet, priusquam veterem demoliret, damni infecti vicino reprimisit, adeoque restipulatus est: posteaquam paries sublati esset, habitatores ex vicinis canaliculis emigrassent, vicinus ab eo mercedem, quam habitatores non redderent, petere vult. Questum est, an recte petet? Respondit: non oportuisse eos, cum communem parietem ædificarent, inter se reprimittere, neque illo modo alterum ab altero cogi potuisse: sed si maxime reprimitterent, tamen non oportuisse amplius quam partis dimidia; quo amplius ne extrario quidem quisquam, cum parietem communem ædificaret, reprimittere deberet; sed quoniam jam in totum reprimissent, omne, quod detrimenti ex mercede vicinus fecisset, præstaturum. — § 2. Idem consulebat, possetne, quod ob eam rem dedisset, rursus repetere: quoniam restipulatus esset a vicino, si quid ob eam rem, quod ibi ædificatum esset, sibi damnum datum esset, id reddi; cum et ipsam hanc pecuniam, quam daret, propter illud opus perderet? Respondit non posse: propterea quia non operis vitio, sed ex stipulatione id amitteret.

44. AFRICANUS, lib. 9 Questionum.

Cum postulassem, ut mihi damni infecti promitteres, noluisti: et priusquam prætor adiretur, ædes tuæ corruerunt, et damnum mihi deducunt; potius esse ait, ut nihil novi prætor constituere debeat, et mea culpa damnum sim passus, qui tardius experiri ceperim: at si cum prætor, ut promitteres decrevisset, et, te non promittente, ire me in possessionem jussisset, et priusquam eo venissem, corruerunt, perinde omnia servanda esse existimavit, atque si posteaquam in possessionem venissem, damnum datum esset. — § 1. Damni infecti nomine in possessionem missus, possidendo dominium cepit: deinde creditor eas [ædes] pignori sibi obligatas

2. *Adde* L. 57, L. 58, in fin. supr. h. t. — 3. L. 15, in fin. supr. de servit. pred. urban. — 4. L. 27, supr. h. t. — 5. L. 5, § 1, supr. eod. — 6. L. 15, § 15, § 13. — 8. L. 24, § 4, supr. eod.